



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Patientia Iobi à Deo se percussum agnoscentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Et quis hoc non faceret, cum etiam bestiae beneficijs cicurentur? & canis eum sequatur, à quo panem accepit? Quod si verò *Fortuna* vultum auertat, si cælum nubibus obscuretur, si pluuia, si nimbi cadant *Casuum* aduersorum; tum animum contrahunt, tū languescunt mente, tum manu cessant, & cum cælo ipso tristantur. Neque hoc satis est, sæpe etiam tonant, contra Tonantem; quod fecisse Pharaonem legimus, & complures. Alij non indignantur verbis, non erumpunt in execrationes & Diras; animo tamen, & vultu, *Fortuna* læuiente, sunt truculenti, ac, se fauciatos esse, profitentur.

Talis Tulipa, quæ sole, eiusque radijs subductis, se se contraxit, fuit Dauid, qui ait: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sed alibi se correxit dicens: *in flagella paratus sum.* Neque nominat flagella, sed quæcunque Deo visa fuerint, ad illa se animo paratum & vtroneam hostiam offert. Decebat enim, vt, à quo acceperat sceptrum, eius non repudiaret flagrum. *Elegisse quidem lego,* ait S. Augustini magister, *S. Dauid flagelli genus, quod equanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligende vnus necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet præmittere, quia potest recipere imperterritus. Nam & sciens, quod, si hic fuerit punitus supplicio temporali, leuare in futurum perpetua possit pœnam ærumne. Rogat ergo, vt recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, vt recipiatur. Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Si seruulum tuum vides peccata propria confitentem vltro offerre se pœna, inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis? Non contraxit se ergo Dauid, sed sinus tunc omnes expandit, ad flagella Dei, & ad fortunæ ictus excipiendos, vt castigatus ærumna temporali, æternam euaderet calamitatem.*

Iob etiam ab iracundâ vxore, tanquam à Furiarum aliqua, vt se contraheret, & tanquam miserum tragicè ludentis *Fortuna* mancipium, in cælum fureret, non passus est, se loco moueri, sed perstitit, vt columna: cùmque & illa perfilteret in eo incitando, diceretque: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & mouere:* respondit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis.* Quare? quia vidit, mala se sua de manu Dei

III.

Plat. 29 8.

Pfal. 37.

S. Ambros.

tra& in Pfal.

37.

IV.

Iob. 2. 9.

Oo

Dei

Job. 19. 21.

Dei suscepisse, à quo castigari, est amari. Vnde & alibi ait: *manus Domini tetigit me*; manus utique bona, & benigna etiam in malis, si ea, tanquam à Deo, & non tanquam ab homine, aut diabolo, illata patienter suscipiantur. *Considera mihi S. Job*, ait idem supra, laudatus Pater, qui *perfusus erat ulceribus, & concutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terra vulnorum suorum sanie & humore resoluens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenerit: ideòq; conscius sui dixit: Mors requies viro. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermonis sui lubrico, qui in omnibus illis, non peccauit labijs suis, sicut scriptura testatur: sed magis plaga sua reperit firmamentum, per quam, confirmatus in Christo est. Ergo & Job, & David, quia hic flagellati sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium, quem recipit. Qui autem hic non flagellantur, ibi non suscipiuntur ut filij. Ideòq; in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ut in perpetuo, cum diabolo flagellentur. Ideò obtinuit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate & impietate sua.*

S. Ambros.
in tract. de
secunda in-
terpellat.
David. c. 4.

V.
Supra. c. 25.

Primum ergo ac palmarium aduersæ Fortune remedium, (de quo etiam supra dixi) est, si consideres, esse illam à Deo, esse ab amante, esse à patre. At quidquid à patre est, gratum; quidquid ab amante, amabile; quidquid à Deo, optimum est, etsi malum putetur. Alterum remedium est, quia, ex aduersa Fortuna, indicium habetur paternæ curæ, filium castigantis. Malis, plerumque, quia non est illis timor, non est flagellum à Domino. Iustus autem dicit, *Quoniam flagellatus sum, tota die; & optat flagellari, ut recipiatur à Domino, & vult timere Deum, quia timor Domini initium sapientiæ est. Quis non timeat eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam?* Atque hoc tertium est, in aduersis casibus, solatiū, æterna supplicia extinguere posse, præsentis vitæ calamitate. Quis in barathrum illud æternitatis, atque in immania damnatorum tormenta inspiciens, non dicat ad Deum: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas?* Quartum remedium, quia, infortunij, homines in officio continet Deus, qui prosperitate tumescunt. Nam qui in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, eos tenet superbia; & qui miserij non sunt cooperti, cooperti sunt iniquitate, & impietate sua. Quintum remedium, quia quos Deus percutit, è malis bonos facit. Plurimæ res percutiendo fiunt meliores. Ligna, dum verberatur, purgatur. Ferrum tunditur, in incude, & quamcum-

S. Ambros.
in tract. de
2. interpel-
lat. Job. c. 4.
Luc. 12. 5.

Psal. 72. 5.